COLLOQUIUM ATHENIENSIUM ET MELIORUM,

QUOD APUD THUCYDIDEM LEGITUR

(LIB. V. CAP. LXXXV—CXIII),

LATINE REDDITUM ET ADNOTATIONIBUS

INSTRUCTUM.

DISSERTATIO ACADEMICA,

QUAM

VENIA AMPL. FACULT. PHILOS. UPSAL.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

CAROLUS HENRICUS BRANDT,

PHIL. CAND. NAT. NORRL.

IN AUDIT. PHILOS. A. D. X CAL. JUN. MDCCCLX.

H. A. M. S.

UPSALIAE

TYPIS EDQUIST & SOC.

Bellum, quod Melo, coloniæ antiquitus Lacedæmone deductæ, Athenienses sexto decimo anno Peloponnesiaci belli intulerunt, memoria est dignissimum et propter libertatis amorem atque erga origines pietatem, quibus permotus ille populus exiguis copiis instructus potentissimæ civitati Græciæ resistebat, et propter calamitatem miserrimam, qua, quum in dicionem tandem Atheniensium se permisisset, ab iis interiit. Quod factum est aliquot menses ante notabile bellum Syracusanum.

Atque hanc rem Thucydides mentibus animisque hominum et antiqui et recentioris temporis commendavit oratione huic narrationi inserta. Quum enim Athenienses, quorum classi præfuerunt Cleomedes et Tisias, ad Melum appulissent, antequam eam adorirentur, missi sunt, qui de urbe tradenda et pace conditionibus interpositis cum Meliis agerent. Hos igitur legatos Thucydides cum magistratibus quibusdam Meliis — nam ad eos tantum, non ad concionem admissi sunt — colloquentes inducit, quo colloquio de re proposita quæ sentiant quæque postulent pronuntient utrique. Quum alteri medii ut antea volentes esse pacem petant, alteri magnitudine suarum rerum confidentes eos impellunt, ut sibi se subjiciant eadem lege, qua plerique populi nomine sociorum imperio eorum tenebantur. Hæc autem postulatio eo magis erat inexorabilis, quod Melii erant insulani, qui aut tributum penderent subjecti socii aut non exsisterent, quo facto nihil ab illis sibi esset periculi, sua plurimi interesse Athenienses in animum induxerant [1]. Qua igitur de causa jam antea sexto anno Peloponnesiaci belli ad Melum subigendam profecti erant [2], eadem hoc alterum susceperunt bellum cum majore etiam numero militum gravis armaturæ, quum ex eventu prioris belli illos sub potestatem suam invito se animo

---

[1]) Cfr. Thuc. V. 99.   [2]) III. 91.

subjecturos satis possent conjicere. Quæ quidem causa nulla alia erat, quam quæ per totum bellum Peloponnesiacum Athenienses et Lacedæmonios, amplissimas Græciæ civitates, ad agendum sollicitabat, contentio imperii. Sui enim imperii tuendi gratia utile Athenienses censebant esse Melum sibi parere, ut ceteræ insulæ. Nam ex iis, quæ inter Græciam et Asiam jacent, imperio eorum tenebantur omnes præter Melum et Theram, quæ, ut hæc, erat colonia Laconica. Accedebat, ut eadem consilia, quorum Lacedæmonii essent auctores, Melios propter originem sequi facile Athenienses suspicarentur [1].

Hoc tamen bellum, quod Athenienses ad internecionem persecuti sunt, si in neutrorum favorem inclinati rem judicamus, rectæ rationi civili utique repugnare confiteamur necesse est. Quod enim Athenienses damnum, si hæc exigua civitas remaneret libera et sui juris, accepissent quodque commodum ex ea subacta percepissent, ea non magna futura fuisse credimus, neque ullam crudelitatis et injuriæ, quam ii commiserunt, sufficientem habent excusationem. Atque hujus injuriæ macula gloriæ Athenarum inusta et non delenda effrenatæ tribuenda est dominandi cupiditati et flagranti odio, quod in Lacedæmonios semper Athenienses habebant, aucto etiam, quum ex pace, quæ Niciæ appellata est, sperata commoda præter opinionem cecidissent, et desiderio denique hoc facinore in Melios, nationem Doricam, illato et animos et existimationem Lacedæmoniorum, qui spem suam ad irritum redegissent, offendendi.

Has vero gentes post pacem illam decem annis belli Peloponnesiaci exactis in quinquaginta annos factam ac societatem vel potius foedus ad mutuum bellum arcendum in totidem annos additum [2]) inimicitias neque sententiis neque rebus gestis deposuisse satis est cognitum. Quam ob rem jure Thucydides hunc statum rerum permanens esse bellum

---

[1]) V. 89 et 108.

[2]) Horum foederum conditiones lege perscriptas capitibus duodevicesimo et vigesimo tertio libri quinti.

judicavit [1]. Quamquam enim etiamtum annis ferme septem irruptionem alteri in alterorum fines non fecerunt [2], bellum tamen erat, quod neque illi populi, qui capita erant sociorum neque eorum socii conditionibus foedere descriptis stabant.

Quæ inter pacem illam ac foedus sociale et bellum Melium intercedunt sub unum aspectum subjicientibus maxima nobis hæc videntur esse.

Scena rerum, quæ geruntur, est imprimis Peloponnesus et Thracia. In hac terra et Amphipolis, quum pacis conditionibus dimissis ab armis recedere nollet pacificantibus erat impedimento [3] et Chalcidensium civitatum, quibus pacis foedere integra libertas exceptione quadam non reddita erat, nonnullæ arma non ponebant, ut Olynthii [4]. Etenim Corinthii nomini Atheniensium semper infestissimi, qui cum Megarensibus et Boeotis et Eleis leges pacis, quippe quæ iis displicerent, adeo ut aliquamdiu dissentirent a Lacedæmoniis, quorum fuerant socii, respuebant, Chalcidensium incendebant infensos animos in Athenienses itemque Peloponnesiis indignabundis admovebant stimulos et tum etiam Lacedæmonios propter ingratam pacem invidiæ objicere studebant.

In Peloponneso autem populus quidam e caligine procedit, qui aliquot annos rebus hujus belli conspicuus interest. Argiva civitas antiquioribus temporibus florentissima, priori bello non adfuerat, quumque jam triginta annis ante Potidææ defectionem societatem iniissent cum Atheniensibus [5] et simili genere reipublicæ utentes iis cuperent [6], tamen cum Lacedæmoniis inducias triginta annorum habebant, quæ eodem fere tempore, quo Niciæ pax constituta est, desinebant [7]. Hi igitur, quum neutram partem secuti ad magnam opulentiam venissent, Lacedæmoniis arma intentare audent agrum Cynurium reposcentes et spem temerariam concipere imperii Peloponnesi [8], ad quam Corinthii maxime eos erexerunt [9]. Itaque societas Argivorum orta est, ad quam Mantinenses [10] et Elei et Corinthii cum Chalcidensibus Thraciis se deinceps applicarunt [11].

[1] V. 26. [2] V. 26 et VI. 105. [3] V. 21 et 35.
[4] V. 39. [5] I. 102. [6] V. 44. [7] V. 14 et 28.
[8] A. 1. [9] V. 27. [10] V. 29. [11] V. 31.

Neque tamen Argivi hostilia utique adversus Lacedæmonios induere ausi sunt nisi ante ab iis Tegeatis ad se distractis. Quod quum non potuissent et cum Boeotis feliciter incepta societatis actio præter spem evenisset [1]) atque adeo Athenienses tum foedere Lacedæmoniis junctos, quibus Boeoti ignaris ad societatem Laconicam non accessissent, quæ tamen societas ab illorum consilio erat separata, timerent, spiritus in eo quidem tempore remittunt ac Lacedæmoniis pacis conditiones ultro ferunt [2]). Lacedæmonii autem voluntati eorum morem gesserunt, quoniam hoc jam anno, quo pax Niciæ confecta est, novis Ephoris constitutis, ex iis imprimis Cleobulus et Xenares, qui paci illi adversabantur, nova subsidia Atheniensibus resistendi quærebant [3]). Attamen foedus Argivorum et Lacædemoniorum ad irritum cecidit. Nam Athenis quoque novis intercedentibus cum Lacedæmoniis controversiis [4]) præter ceteros Alcibiades, qui magnam implicationem rerum ad suum usum scite flectebat, toto animo pacem tollere studebat. Is igitur privatim ad Argivos mittit, ut ipsi cum Mantinensibus et Eleis se conferrent Athenas societatemque peterent. Illi vero ubi verum statum conjunctionis Atheniensium et Spartiatarum resciscunt, misso foedere Laconico, quod ante quæsierant, libentissime transeunt ad Athenienses. Atque secus cadebant et Lacedæmoniorum legationes de controversiis componendis et Niciæ conatus studiaque pacem tuendi, Athenis per Alcibiadem, Spartæ per Xenarem eosque qui ab eo stabant [5]).

Postquam igitur Athenienses foederis quasi ulciscendi causa, quod Lacedæmonii cum Boeotis privato consilio miserant, ipsi cum Argivis eorumque sociis Mantinensibus et Eleis foedus ad mutuum bellum defendendum percusserunt, quod factum est duodecimo belli anno, simultates utriusque gentis etiam graviores fiebant et in acie sociorum collocati inter se pugnabant, quamquam societatem et amicitiam non sollemniter renuntiarunt.

---

[1]) V. 36—38. [2]) V. 40 et 41. [3]) V. 36.
[4]) V. 39 et 42. [5]) V. 43—47.

Dum Corinthii, qui aliquamdiu, quonam res inclinarent, exspectaverant, Argivis relictis ad Lacedæmonios se rursus converterunt [1]), Alcibiades per societatem Argivam Atheniensibus Peloponnesi quoque imperium ut pararet operam dabat. Ejusque consiliis perficiendis aptissimi adjutores fuerunt Argivi, qui rebus suis hac societate auctis confisi tempus duxerunt esse fines extendendi atque ipsos Lacedæmonios provocandi ad bellum, quo imperii sui Peloponnesi fundamenta jacerent. Nihil nimirum minus spectabat bellum, quo Epidaurios, iis finitimos, Lacedæmoniorum socios, lacessiverunt, non quod Apollini, ut perhibuerunt, sacrificium quoddam deberetur, sed quod ipsi Epidaurum occupare volebant. Quo facto et Corinthios pacatos sperabant futuros esse et breviore itinere quam circa promontorium Scyllæum proficiscentes opem Athenienses iis ferre poterant [2]).

Alcibiades igitur Patrensibus, ut murum usque ad mare perducant persuadet et in Rhio Achaico munitionem instituere conatur [3]), quod si Corinthiis et Sicyoniis non impedientibus processiset, Athenienses, qui non solum Naupactum ejusque portum opportunissimum, sed etiam Antirrhium tenebant, angusto introitu sinus Corinthiaci potiti essent, Argivi autem duabus irruptionibus in Epidauriam factis eam devastarunt nihil prohibentibus Lacedæmoniis, qui quum et semel et iterum castra movissent, religione mensis Carnei et sacrificiis in finium transitu non litantibus commoti domum reverterunt [4]).

Sequente hieme Athenienses, quum Lacedæmonii se insciis trans mare Epidaurum trecentorum militum submisissent, admonitu Alcibiadis et Argivorum Pylum summo cum damno Lacedæmoniorum Messenios et Ilotas reducunt, quos eodem anno, quo pax composita est, post multa colloquia demum Lacedæmoniis obsecuti, quum præsidio suarum ipsi copiarum iis minus nocentium locum tenerent etiamtum, deduxerant [5]). Nam id quod foedere vel imprimis

---

[1]) V. 48. Cfr. V. 32. [2]) V. 53. [3]) V. 52.
[4]) V. 54 et 55. [5]) V. 56 et 35. Cfr. IV. 3 et 41.

erat constitutum, ut Pylum Lacedæmoniis restituerent, numquam patrarunt.

Quarto vero decimo anno, ubi Lacedæmonii laborantibus Epidauriis et suis dubiis Peloponnesiacis rebus succurrentes ingentibus copiis sociorum et Peloponnesiorum, in quibus erant Corinthii, et Boeotorum ac Megarensium adversus Argivos proficiscuntur, hi cum Mantinensibus et parte Eleorum, quæ eorum castra est secuta, prope Nemeam circumveniuntur [1]. At in summo discrimine eos versantes duo Argivi, Thrasyllus ex quinque prætoribus unus, cui cives pro callida providentia meritam dubitamque gratiam postea non retulerunt, et Alciphron, hospes Lacedæmonius, non minus quam Agis, rex Lacedæmoniorum, qui stolide his petentibus inducias quatuor mensum concessit, servarunt. Quibus tamen Argivi induciis, posteaquam copiæ Atheniensium, qui uni a sociorum castris abfuerant, advenerunt, Alcibiade auctore non conservatis primum Orchomenum, Archadiæ oppidum, obsidione clausam ad se transire coëgerunt, deinde Mantinensibus morem gerentes, adversantibus Eleis, qui quum Lepreum oppugnatum illi proficisci nollent, non sunt secuti, ad Tegeam aggrediendam se parabant Mantineæ [2]. Agis vero cum omnibus Lacedæmoniis, qui arma ferre poterant, sexta parte excepta, quæ domi præsidii nomine remansit, et cum Arcadibus foederatis iis obviam processit [3]. Isque decem Spartiatis comitantibus, qui propter rem illam male gestam ei consiliarii dati erant, eo quidem tempore ingenii quodam instinctu ductus se optime gessit et hostes in planitie Mantinensi fusos devicit [4].

Argivi hac clade proelio accepta, quo nullum majus inter Græcos longissimo tempore abhinc neque a majoribus civitatibus factum est, ita sunt perculsi, ut, etsi Lacedæmonii Carneas ferias agentes spatium virium reficiendarum dabant iis, quod ceteri quidem socii ad Epidaurum circumvallandam contulerunt, postquam illi ex feriis castris ad

[1]) V. 57—59. [2]) V. 61 et 62. [3]) V. 64.
[4]) V. 65—74.

Tegeam positis imminuissent, animos inclinarent ad pacis conditiones a Lacedæmoniis propositas. Namque in iis quoque, ut solebat, fuerunt qui Lacedæmoniis faverent imperiumque populare tollere studerent. Pace igitur inita Argivi finibus nihil auctis in pristinum statum redire coacti sunt [1]).

Neque ita multo post illi Spartiatis amici, ut societate Atheniensium et Eleorum et Mantinensium omissa sociale foedus jungeretur cum Lacedæmoniis perfecerunt [2]). Quo facto civitas popularis Argis evertitur et paucorum constituitur dominatio reipublicæ Lacedæmoniorum commoda [3]). Atque hæc omnia gesta sunt quarto decimo anno belli Peloponnesii. Hac vero rerum publicarum commutatione bellum domesticum inter Argivos coortum est. Populares enim sequente jam anno optimatibus partim interfectis partim expulsis cum Atheniensibus foedus societatis integrarunt et, ne commeatu per Lacedæmonios excluderentur, longos muros ad mare ducere coeperunt [4]). Quibus æstate factis Lacedæmonii sequente hieme muris illis dirutis atque etiam Hysiis, oppido Argolidis, Cynurio agro confini, eversis quieverunt. At Argivi paulo post agrum Phliasiorum, quod exsules suos recepissent, populati sunt atque ea, quæ est secuta, æstate, qui fuit annus sextus decimus, quum Alcibiades classe advectus esset, trecenti viri, qui cum Lacedæmoniis facere suspecti erant, ab Atheniensibus in insulis vicinis depositi sunt [5]).

Itaque comminutis Argivi opibus et infelici eventu belli Mantinensis et domesticis seditionibus non magno incremento auxerunt res Atheniensium. Quin etiam incommodo potius quam emolumento iis erant, quod ipsi plus auxilii requirebant, quam dabant. Et profecto Athenienses, quum Alcibiades viribus eorum hac societate de recta via deductis ac dispersis nulla ope illorum, qui Lacedæmoniis longe inferiores essent, adjutus, suis exsequendis consiliis, ut erant levia et incerta, imperii Attici augendi et corroborandi par non esset, minus tum validi fuerunt vel adversariis visi sunt, quam quo tempore pax Niciæ facta est. Victoria enim

[1]) V. 76 et 77. [2]) V. 78 et 79. [3]) V. 81.
[4]) V. 82. [5]) V. 83 et 84.

ex bello decem annorum reportata et sociis et hostibus metuendi fuerunt. Nescioque an ipsi majorem sustinuerint causam pacis turbandæ, quam Lacedæmonii. Nam hi illo ipso tempore et aliquamdiu post opibus adversariorum multis et magnis, quæ præter spem nondum senescerent, eorumque fortitudine constantiaque bellica satis cognitis et simul suas ipsorum vires redintegrare cupientes, quantum in se erat, fecerunt, ut legibus pacis satisfacerènt. Sed ne hoc iis succederet præter alias causas vel maxime socii officiebant, qui quum bellum, quod Græciæ libertatis causa susceptum esset, animis promptissimis paratissimisque sustinuissent, tum primum ab iis, quum redierunt in gratiam Atheniensium, desciverunt.

Jam vero Mantinenses, postquam apud Mantineam male pugnatum erat, pacto foedere Lacedæmoniis conciliati sunt [1]. Quamquam ad posterum bellum nullam habent vim, quod idem pertinet ad Eleos, qui in illo quoque tempore arma videntur posuisse. Corinthii vero et Megarenses et Boeoti, ut jam apud Nemeam castris adjunctos eos dixeramus Lacedæmoniorum, his nunc socii et amici sunt facti.

Lacedæmonii igitur pristinis sociis secum conjunctis non magnum illi quidem detrimentum ex Atheniensium et Argivorum foedere ceperant, sed victoria Mantinensi antiqua existimatione reparata certioribus pedibus stabant digniores-que quam tempore pacis illius compositæ, qui sociis præfecti Athenienses de tyrannide Græciæ dejicerent, videbantur [2].

Et ut Lacedæmoniis magno erat damno quod Pylus Atheniensium imperio tenebatur, unde perniciosas populationes facerent milites præsidiarii [3], ita Athenienses non minorem trahebant molestiam ex Amphipoli, quam urbem mercaturæ aliisque rebus opportunissimam, ornamentum prudentiæ Periclis, qui eam condiderat, hostes usque obtinerent. Nam bellum, quod non multo ante Melium ad eam recuperandam comparatum est, parum processit [4].

In hoc loco fuerunt res utriusque gentis Græciæ principis, quum profecti sunt Athenienses ad Melum potiendam.

---

[1]) V. 81. [2]) Cfr. V. 75. [3]) Cfr. V. 115. [4]) V. 83.

De hac insula et urbe, cui idem fuit nomen, pauca ab antiquis scriptoribus nobis tradita sunt [1]). Erat, ut jam diximus, colonia Lacedæmoniorum vetus [2]). In colloquio a Thucydide proposito Melii se prædicant libertate usos esse septingentos annos [3]). Hanc libertatem etiam adversus Persas conservaverant. Eos enim et Siphnios et Seriphios ex insulanis solos de terra et aqua Xerxi danda recusavisse narrat Herodotus. Ad Persas repellendos cum ceteris Græcis sunt profecti duabus navibus quinquagenarii remigii [4]). Intelligimus igitur hanc insulam et libertatis amore incensam et pro magnitudine opulentam fuisse ac numerum aliquem in Cycladibus obtinuisse. Etenim frugum est fertilissima et portum habet magnum et egregium [5]). Paucorum administratione civitatem gubernatam fuisse et ex origine ejus et eo, quod non ad populum, sed apud paucos, qui in magistratu essent, Atheniensibus Thucydides narraverit licuisse dicere, colligere possumus [6]).

Athenienses igitur duodequadraginta navibus et militum ferme tribus milibus ad insulam potiendam profecti sunt. Hi colloquio illo interposito, in quo Melii admonentes eos et obsecrantes, ut ne sibi, qui neutrorum secuti essent partes neque Atheniensium neque Lacedæmoniorum, communi jure gentium violato vim inferrent, non auditi sunt, urbem obsidione et a terra et a mari clauserunt. Deinde quum maxima pars exercitus Atheniensium præsidio relicto, quod urbem commeatu exclusam fame et angustiis ejus generis ad deditionem cogeret, domum revertit, duas prosperas eruptiones faciunt Melii. Tum subsidio Athenis misso, duce Philocrate, etiam graviore obsidione pressi, simul accedente proditione quadam in oppido se dant in fidem Atheniensium.

---

[1]) Hæc in unum locum vide collecta a Tournefortio (Relation d'un Voyage du Levant, p. 145 et sequ.), qui omnium accuratissime Melum et antiquam et recentiorem descripsit et auctores commemoravit.

[2]) Ita præter Thuc. commemorant Herodot. VIII. 46 et 48, et Xen. *Ἑλλην.* II. 2. Cfr. Müll. Orch. p. 316 et sequ.

[3]) V. 112. [4]) Hdt. a. l. [5]) Tournef. a. l.

[6]) Cfr. Popp. Prol. I. p. 277.

Et Thucydides narrationem breviter hoc modo concludit: Athenienses interfecerunt Melios, quoscumque puberes ceperunt, pueros et feminas sub corona vendiderunt; locum ipsi obtinuerunt colonis postea quingentis eo missis [1]).

De colloquio ipso, quo Thucydides hanc narrationem illustrat et ornat, perpauca afferemus, quia nobis non fuit propositum, ut quæstiones, quæ ad id multæ pertinerent, copiose tractaremus. Quæ multa Dionysius Halicarnasseus in hoc dialogo, quem unum accurate et plene a Thucydide compositum esse constat, deprehendit vitia et maxime quod scriptor sententias a personis et rebus descriptis alienas proposuerit, ea ad nihil redigi jam Acacius bene docuit [2]). Nos autem nonnulla ad hanc rem illustrandam adjiciemus.

Primum colloquium quoddam ante urbis oppugnationem inter legatos illos et magistratus Melios intercessisse est verisimile, siquidem Athenienses, id quod e re sua maxime fuisset, et terrore copiarum, quas secum haberent, et minis verborum Melios pugna omissa ad obsequium adducere posse haud dubie speraverint. Et si cum populo agendi copia iis data esset, easdem sententias lenioribus verbis eos fuisse denuntiaturos est consentaneum. Quum autem colloquium esset cum paucis et ita quasi privatum, apertius atque etiam procacius verba facere potuerunt. Deinde scriptorem ejusmodi colloquium, quantum id potuerit cognitum habere, tamquam argumentum ad suum ipsius judicium de bello Melio facinoreque, quod eo Athenienses admiserint, accommodasse nemo negabit. Nam hæc est magna virtus orationum Thucydidiarum, ut sententias, quæ rebus subsint, ut mores et ingenia eorum, qui laudantur, ut præcepta civilis prudentiæ ad omnium posteriorum gentium utilitatem reservata proponant et illustrent. Quod, si de ulla oratione potest, de hac quidem dicere minime dubitarimus. Profecto,

---

[1]) V. 114—116.

[2]) Vide Dion. de Thuc. Jud. XXXVII—XLI. et Acac. in Hist. Thuc. Adn. p. 593 et sequ.

etiam si tam latus et verbosus sermo ab Atheniensibus et Meliis habitus esset, non ob eam causam Thucydides in eo exponendo tam longus esset. Neque enim ita magnum lucrum ferebat Atheniensibus Melus subacta, ut aliquid momenti ad totum bellum haberet Peloponnesiacum. At bellum Melium habuit momentum, quod ostendit, quam corrumpi mores coepti essent, quam sævitia animos incessisset, quam partium studiis et certaminibus coortis ac multis malis illis temporibus in civitates Græcas irrumpentibus jus fasque magis magisque læderetur.

Scriptor a bello remotus, sine ira, sine studio acta utriusque partis cum animo reputans, is qui non solum præsentia acutis oculis perlustraret mentis, sed etiam futura semper spectaret, quique vitiorum auctores temeritate et animorum quadam perturbatione injustos poenas esse daturos probe sciret, non potuit hanc rem pro nihilo habere. Intellexit is quidem Athenienses, qui et sociis et hostibus vellent esse metuendi atque ita imperium suum firmari et augeri existimarent, adeo a proposito aberrare, ut tantum odia aucta consequerentur. Et voluit animos legentium ad futura attentos facere, ut jam intelligerent, quo modo Athenienses, quas tum opes intempestive exiguæ et infirmæ civitati subigendæ insumerent, eas post paullo insolentia adaucta in majore conatu Siciliæ expugnandæ consumerent quoque modo fortuna in alteram partem versa et mutata deinde præcipites in perniciem traherentur. Verum morem suum tenens, hic ut plerumque quæ ipse sentiat non suis verbis prodit, sed utrisque, quos loquentes inducit, suis partibus datis ex eorum oratione qualis sit status rerum, quales homines, qui earum sunt auctores, quid cuique aut laudis aut criminis sit tribuendum legentibus facit copiam conjiciendi. Quumque loquentibus sententias assignet, quas res gestæ eos habere demonstrant, tantum abest, ut lædat fidem historiæ, ut res ab omni parte illustret, quod veras earum causas ab animorum motibus, ab opinionibus, a voluntatibus hominum proficisci cernant et videant legentes. Itaque hic quoque, id quod sibi proposuerat, ut semper

vera narraret, vel maxime spectans in colloquio Atheniensibus partes assignat consentaneas, quod et sententiæ et verba conveniunt factis. Inhumanam enim crudelitatem in Melios adhibuerunt, quum eos, qui nihil aliud petebant, quam ut medii remanentes haberent pacem, neque ulla ratione Athenienses antea offenderant, superatos perdiderunt. Igitur minime mirum, si Athenienses insolentius hic, quam alibi, loquentes inducuntur. Accedit quod illis temporibus ejusmodi sententiæ in Græcia a sophistis sunt pronuntiatæ. Atque hæc subsidia homines omnium ætatum sibi paraverunt ad perversa et falsa defendenda. Neque tamen hic ita sunt prædicata, ut aliquem possint decipere, quæ ipsa res, si non alia, nos docere potest, quid scriptor judicarit ipse. At si hæc verba ab elegantia et humanitate abhorrere Atheniensium, qui etiam, si hæc senserint, non eo quidem modo dixerint, aliquis credat, non eam ob rem reprehendendus est Thucydides. Nam, ut ante dixi, ad ipsa hominum facta hæc apta sunt, ut veram conditionem rerum et temporum perspiciamus. Neque vero urbanitatem illam offendit. Quum enim colloquium esset cum magistratibus, paucis tantum audientibus, quæ sinu fovebant Athenienses et cogitabant, ea minus verecunde enuntiare potuerunt, ut possunt in colloquio dici, quæ concioni minus conveniunt.

Colloquium Atheniensium et Meliorum

(Lib. V. Cap. LXXXV—CXIII).

LXXXV. Atheniensium legati hæc fere dixerunt: Quandoquidem apud plebem verba non sunt facienda, ut ne perpetua scilicet oratione multitudo, si nostra ad animos commovendos apta et non revicta argumenta semel audierit, inducatur — nam id sibi velle intelligimus consilium vestrum nos ad paucos ducendi — vos, qui in hoc concilio assidetis, etiam tutius illo modo rem agite. Nam singulatim vos item neque una oratione, sed ad id continuo, quod minus commode dictum

videatur, respondentes sententiam dicite. Ac primum, num placeat hoc a nobis propositum, dicite.

LXXXVI. Meliorum autem senatores responderunt: Aequitas' qua, ut in otio nos mutuo doceamus, suadetis, non ea quidem carpitur, sed apparatus illos jam præsentes, non futuros, qui bellum ostentant, ab ea re abhorrere manifestum est. Nam et ipsos eorum, quæ disputabuntur, arbitros vos videmus advenisse et exitum, ut consentaneum est, ejus rei nobis, si superiores e judicio discesserimus eamque ob causam non cesserimus, bellum allaturum, orationi obsecutis servitutem.

LXXXVII. Athenienses. Proinde, si suspiciones ut volvatis rerum futurarum vel aliam ob causam convenistis, quam ut ex præsentibus anteque oculos positis spectata salute consulatis in commune, colloquium mittamus; sin vero hoc consilio ducti, loquamur.

LXXXVIII. Melii. Par est veniaque dignum, qui in tali fortuna versentur, eos multas et loquendi et opinandi ingredi vias. Nihilominus et de salute hic factus est conventus et sermo, quomodo postulatis, sic, si libet, instituatur.

LXXXIX. Ath. Neque igitur ipsi speciosis nominibus, ut dicamus aut jure nos barbaro debellato imperium tenere aut injuria affectos nunc bellum inferre, verborum copiam nihil habentem fidei afferemus. Neque a vobis petimus, ut, si neque Lacedæmoniorum, quorum essetis coloni, vos socios fuisse belli neque nobis ullam injuriam intulisse denuntietis, id opinemini persuasum nobis iri. Contra censemus, ut quæ ex vera nostra utrorumque sententia animorum possunt fieri, persequamini, quum agatis scientes cum non ignorantibus, quæ justa sint, ea in sermone hominum, si pari utantur virium coercitione, judicio facere momentum, quæ autem possint fieri, ea perficere superiores et imbecillos concedere.

XC. Mel. Atqui nos quidem censemus esse utile — quid enim aliud, quoniam commodum prætermisso justo ut loquamur præcepistis — vos non tollere quod omnibus est bonum, sed cuique, quandocunque in periculo versetur, æqua pro justis habere atque etiam præter summum jus persuasione adhibita cui licere æquitatis quendam capere fructum. Neque minus hoc e vestra re, quod gravissimas etiam, si quando fortunæ succubueritis, aliis persequendi poenas exemplum dederitis.

XCI. Ath. Nos vero nostri imperii, etiam si perierit, non pavescimus finem. Nam qui aliis imperant, ut Lacedæmonii, non hi horrendi sunt victis — neque vero cum Lacedæmoniis nobis est certamen — sed si qui usquam, quorum imperio subjecti sint, eos armis illatis vincant. Et de hac quidem re nobis permittatur ut periclitemur. Jam vero id demonstrabimus et ob utilitatem nos adesse nostri imperii et ob incolumitatem nunc verba facturos vestræ civitatis, siquidem, ut sine nostro molimento in dicionem vos redactos, ita utrorumque emolimento vos incolumes volumus factos.

XCII. Mel. Quonam igitur modo fieri poterit, ut æque fructuosum nobis obtingat servitium, ac vobis imperium.

XCIII. Ath. Quia continget vobis, ut extrema fortuna vitata obedientiam subeatis atque ut nos non perditis vobis lucrum faciamus.

XCIV. Mel. Itaque otium nos habentes amicos esse pro hostibus neque alterorum ullorum socios, vobis non placeat?

XCV. Ath. Minime vero, siquidem non tantum nobis nocent inimicitiæ vestræ, quantum amicitia, quæ, ut odium virium, sic illa imbecillitatis specimen iis, qui nostro tenentur imperio, cernitur.

XCVI. Mel. Itane vero, qui vobis parent, judicant de æquo, ut et eos, qui nulla re vos attingant, et qui, plurimi,

quippe essent coloni, nonnulli, quum defecissent, oppressi sint, eodem referant.

XCVII. Ath. Legitima enim causa neutros inferiores esse ducunt, sed per opes illos superesse, nos præ metu eos non aggredi. Quam ob rem non solum numero parentium auctum nostrum imperium, sed etiam tutum, si subacti eritis, reddetis, præsertim si nobis mari pollentibus insulani vos et quidem ceteris infirmiores non superiores fueritis.

XCVIII. Mel. At vero illud non censetis præsidium esse ad res vestras tutandas — necesse est enim iterum hic, quemadmodum vos legitimis rationibus nobis exclusis, ut vestro obsequamur commodo persuadetis, ita nos, si forte, quod utile sit nobis, vobis idem conveniat, id docendo conari vobis persuadere — ergo si qui cum neutris bellum communicant, quomodo eos non habebitis hostes, quum hisce rebus conspectis aliquando vos etiam ad se profecturos existimaverint. Qua re quid aliud, quam, qui jam sunt inimici, ampliores facietis, eos vero, qui ne in futurum quidem hostile quid agunt, invitos eo impellitis?

XCIX. Ath. At enim non ita pertimescendos nobis illos credimus continentis, ubiubi sunt, incolas, qui propter libertatem suam moram a nobis cavendi facient magnam, sed insulanos, sive usquam expertes sunt imperii, ut vos, sive jam coercitione ejus lacessuntur. Hi enim summis rebus temerario consilio commissis facile et se ipsos et nos in manifestum periculum inferunt.

C. Mel. Profecto igitur, si et vos, ne de possessione imperii dejiciamini, et qui jam servitute tenentur, ut liberentur eo, tantum adeunt discrimen, nobis quidem, qui adhuc liberi sumus, magnæ humilitati erit et ignaviæ non citius, quam servile jugum susceperimus, in omnes res institisse

CI. Ath. Non ita, si quidem prudenter consultaritis. Neque enim de virtute vobis æqua conditione est certamen, ne dedecus admittatis, sed de salute potius consilium, ne longe potentioribus resistatis.

CII. Mel. At scimus res bellicas nonnumquam magis communi evenire Marte, quam pro dispari utrorumque multitudine. Ceterum nobis, si cesserimus, continuo nihil erit spei, dum vero strenue agitur, etiam nunc rem nostram spes sustentandi.

CIII. Ath. Spes vero, animorum in periculis consolatio, eos, qui magnis copiis ornati ea utuntur, etiam si damno afficiat, non funditus perdit. Verum qui omnes fortunas in aleam dant — nam illa est natura larga promissis — iis et qualis sit intelligitur, quum lapsi sunt, neque in quo jam cautionem quis ejus cognitæ adhibere possit relinquit quicquam. Quod vos, qui infirmi estis atque uno momento quasi libramini, nolitote experiri neque similes plerisque esse, quibus quum liceat ope humanarum rerum adhuc servari, ubi eos laborantes destituerunt certæ spes, ad incertas se conferunt vaticiniaque et oracula et quæcunque ejus generis vana spe mortales pervertunt.

CIV. Mel. Difficile nos quoque, sic pro certo habete, illud quidem futurum censemus non solum cum opibus vestris, sed etiam cum fortuna nisi æquata conditione certamen sustinere. Verum tamen et fortuna deo juvante non inferiores nos futuros esse confidimus, quod pii injustis obsistamus, et, ab opibus quod abest, id Lacedæmoniorum nobis societatem suppleturam, qui, si minus alius cujusdam rei, at cognationis causa et pudore commoti opem ferre necessario cogantur. Neque ita temere omnino fidentes sumus.

CV. Ath. At primum, quod ad deos attinet, benignitate eorum nec nos quidem putamus impares futuros. Nihil

enim neque præter hominum in rebus divinis auctoritatem neque præter eorum in rebus humanis voluntatem aut de justo statuimus aut agimus. Nam ut deos ex opinione, ita manifesto homines, ubique e necessitate quadam naturæ, quos in potestate habeant, iis arbitramur imperare. Quam igitur nos legem neque ipsi auctores neque ea lata primi usi valentem recepimus, ut in perpetuum valituram relinquamus, ea utimur, non ignorantes et vos et alios, si easdem opes cum nobis obtinuissetis, hoc ipsum esse facturos. Atque ad deos quidem quod attinet, ita idonea ratione non timemus, ne inferiores futuri simus. De Lacedæmoniis vero quod pudore adductos vobis opem confiditis eos esse laturos, quum prædicarimus vos beatos propter innocentiam, non æmulemur imprudentiam. Lacedæmonii enim inter se quidem ipsos inque domesticis institutis virtute plurimum utuntur, verum in alios quales se præbeant, quum multa quis dicere possit, in summa illud potissimum declaraverit evidentissime eos omnium, quos norimus, quæ sint jucunda, ea honesta, quæ sint utilia, ea justa judicare. Atqui non ad vestram nunc temere speratam salutem se accommodat hujusmodi mens.

CVI. Mel. Immo vero nos ob hoc ipsum jam vel maxime confidimus, id quod commodum ipsorum fert, esse futurum, ut nolint Meliis, qui sint coloni, proditis non solum amicis Græcorum infideles, sed hostibus se exhibere utiles.

CVII. Ath. Itaque non putatis commodum securitate contineri, justum vero et honestum cum periculo perpetrari, quod Lacedæmonii, ut mos est eorum, minime audent.

CVIII. Mel. Immo vero et pericula eo magis nostra causa suscepturos eos ducimus et ea existimaturos tutius nobiscum quam cum aliis communicatum iri, quo ad res gerendas quod attinet Peloponnesum prope siti, animorum autem cognatione fideliores quam ceteri sumus.

CIX. Ath. At firmo quidem præsidio iis, qui certamen communicabunt, non benignus eorum animus, qui auxilium petierunt, videbitur esse, sed si quis armis virisque multum præstet, id quod Lacedæmonii magis etiam quam ceteri spectant. Namque domestici apparatus diffidentia etiam cum multis de sociis finitimos invadunt. Quapropter non verisimile est in insulam quidem eos nobis maris imperium tenentibus esse trajecturos.

CX. Mel. Atqui etiam alios, quos mittant, eos habere concesseritis. Latum autem est mare Creticum, in quo classe valentibus major est difficultas eos, qui latere volunt comprehendendi, quam his saluti suæ consulendi. Quod si in hoc offendant, et in agrum vestrum et adversus reliquos socios, quos quidem Brasidas non adierit, se eos conversuros crediderimus. Neque de terra, quæcunque est, aliena potius quam de multo propiore [sociorum atque vestra ipsorum] labor vobis erit subeundus.

CXI. Ath. Horum quidem quemadmodum quid possit accidere et ex memoria rerum cognitum habetis vos quoque neque ignoratis, ne ab una quidem umquam obsidione propter metum aliorum Athenienses recessisse. Id vero cum animo reputamus, vos, qui affirmaveritis de salute deliberaturos, nihil in tanto sermone dixisse, quo homines confisi se arbitrarentur futuros esse salvos, et vestra subsidia, quæ in spe habeantur, firmissima esse illa quidem, sed in futuro tempore sita, quæ re adsint, ea tenuiora ad altera jam opposita, quam ut ad victoriam sufficiant. Magnamque temeritatem et amentiam præfertis, nisi nobis semotis jam aliud quid hisce prudentius decernetis. Neque enim certe ad illum quidem in ignominiosis atque ante oculos positis periculis perniciosissimum hominibus pudorem vos convertetis. Multis enim cum præviderent etiamtum, quo agerentur, id, quod pudendum dicitur, vi nominis animos allicientis fuit incitamentum, ut victi verbo re vera in insanabiles sua sponte inciderent calamitates ignominiamque

foediorem imprudentia quam fortuna susciperent. Quod vos, si bene consiliabimini, cavebitis neque indecorum putabitis aut civitati maximæ, quæ moderatas conditiones offerat, ut vestrum retinentes agrum socii fiatis tributarii, imperium concedere aut permisso vobis libero arbitrio de bello atque incolumitate deteriora non sectari. Etenim qui paribus non cedant, qui erga superiores honeste se gerant, qui in inferiores moderati sint, ii felicissime rem gerant. Considerate igitur etiam nobis semotis atque in animo sæpenumero cogitate vos de patria consultare, de qua, ut una est, sic in una consultatione, sive feliciter sive secus ceciderit, vobis consulendi erit copia.

CXII. Post hæc Athenienses secesserunt e colloquio. Melii autem, quum secum remansissent, ut similia, atque dictis adversariorum opposuerant, probarunt, responderunt hæc: Nobis vero, Athenienses, neque alia placent, quam quæ primo, neque brevi temporis spatio urbi, quæ jam per septingentos annos habitatur, libertatem eripiemus, sed tum fortuna, quæ adhuc usque deo juvante eam conservat, tum hominum et Lacædemoniorum auxilio confidentes conabimur servari. Petimus tamen ac vos hortamur, ut amici simus, ut hostes simus neutris, atque ex terra nostra ut foedere facto, quod videatur commodum utrisque esse, vos recipiatis.

CXIII. Melii igitur hæc responderunt. Athenienses vero, quum jam discederent e colloquio, dixerunt: Verum enim vero soli quidem, ut nobis videmini — nam ita ferunt ista consilia — et quæ sunt futura rebus conspicuis certiora judicatis, et quæ in occulto latent, ea, quod cupitis, sicut in effectu posita jam intuemini. Atque ut Lacedæmoniis et fortunæ et spei vos temere commisistis cum summa fiducia, in summam fraudem incidetis.

Adnotationes.

(Orationem Græcam videas in editione Krügeri, quem potissimum secuti sumus.)

LXXXV. *ἔτι ἀσφαλέστερον ποιήσατε.* *ἔτι* auget vim comparativi. *ποιεῖν* h. l. ut sæpe universam notionem verbi antecedentis exprimit; itaque hic *verba facite* nobiscum in hoc concilio plebe non audiente. Interpretes verbum *ἔτι ἀσφαλέστερον* minus accurate reddiderunt, ut non facile quis intelligat, quomodo et illam comparationem et contextum hujus et sequentis sententiæ accipiant. Illud *ἔτι ἀσφαλέστερον* significat non eum solum fructum, quem Melios ex oratione, quæ in hoc conventu haberetur, comparatum cum eo, quem concio iis attulisset, capturos esse existimarunt Athenienses. Ita enim *ἀσφαλέστερον* particula *ἔτι* non addita sententiam melius redderet. Nos igitur comparationem putamus esse orationis perpetuæ in senatu habendæ cum colloquio seu dialogo, ita ut Athenienses, sicut hanc orationem Meliis utilem, quod a populo nihil periculi sit, ne verbis suis inducatur, putent, ita etiam tutius iis fore dicant colloquium. Hoc modo significarunt Athenienses, quum Melii instituissent sermonem quasi privatum, quod ad concionem sibi negarent aditum, se etiam magis privatum eum reddituros, quod colloquio tantum cum iis agere vellent. Atque *γάρ* h. l. est particula explicandi, ut apud latinos *nam*.

Item vos i. e. ut nos dicere in animo habemus.

LXXXVI. *αὐτοῦ. τῆς ἐπιεικείας τοῦ διδάσκειν καθ' ἡσυχίαν*, Haack. Popp. Krüg. Hic plura exempla hujus generis in grammatica sua (§. 58. 3, 6) affert. Sine causa igitur hoc loco Dion. (De Thuc. Jud. XXXVII) reprehendit Thucydidem.

κριτάς non *δικαστάς* dicit orator Meliorum. Aptissimum illud, quod mos fuit Græcorum ut, si duæ civitates inter se de aliqua re disceptarent, arbitrium hujusce rei alii permitteretur.

ἐξ αὐτοῦ "referes ad *αὐτοὺς κριτὰς ἥκοντας ἡμᾶς*, unde subaudiendus infinitivus *ἥκειν*" Haack. Immo ex illis verbis *κρίνειν* audiendum est. Quod enim Athenienses ipsi fuerunt arbitri, qui iidem essent rei, bonum exitum ejusmodi judicii sperare non poterant Melii. Poppo, Goellerus, Arnoldus illud *ἐξ αὐτοῦ* ad *τὸ διδάσκειν* referunt.

κατὰ τὸ εἰκός ad *τὴν τελευτὴν ἐξ αὐτοῦ φέρουσαν* non ut Osiand. ad *περιγενομένοις* referas. }

LXXXVII. *λογιούμενοι. volvere* seu *in pectore volvere* vertimus. *Comminisci* Heilmannus, quod etiam nobis in mentem venit cujusque notionis exemplum afferre possumus ex Aristid. I. p. 365.

LXXXIX. Dionysius, qui parum intellexit consilium, quo ductus Thucydides hanc orationem proposuit, graviter hoc caput carpit. At hæc sunt verba digna hominibus, qui suæ cupiditati et suo commodo servientes non verentur aliis vim afferre, ut illo tempore Athenienses superbe et libidinose in infirmiores civitates consuluerunt. Et Athenienses vere senserunt, Melios magis præ metu, quam aliam ob causam ad consilium adversariorum non accessisse. Quod vero non manifesto ullo facto eos offenderant, omnino negare non potuerunt in justa causa eos esse.

ἐπισταμένους ad vocabulum *ὑμᾶς* spectat, quod est subjectum infinitivi *διαπράσσεσθαι*.

In verbis *διαπράσσεσθαι* et *λόγῳ* convertendis Krügerum sequimur, cujus interpretatio toti orbi orationis valde congruit.

κρίνεται, judicio subjicitur et examinatur, sed res, quæ ita in cognitionem venit, arbitris ipsis ad judicium affert momentum.

XC. *ὑμᾶς* Popp. Krüg. alios secuti legimus. Haackius defendit vulgatam lectionem *ἡμᾶς*.

τὸ κοινὸν ἀγαθόν. τὴν ἐλευθερίαν male unus Schol., melius alter *τὸ πράως τοῖς ἀσθενεστέροις χρῆσθαι*. Est commune jus, quod hominibus et civitatibus ex æquo et bono tribuitur. *ἀλλὰ τῷ ἀεὶ . . . . ὠφεληθῆναι.* locus perdifficilis; nostram tamen interpretationem et cum priore argumentatione

oratoris Atheniensium universoque contextu sententiarum et grammaticæ defendi putamus posse. Vocabulum *εἶναι* est simpliciter *esse* vel *haberi*, ut Goellerus id accipit, quocum in ceteris hoc loco non consentimus. Oratio vero, quum ad Athenienses dicatur, qui priore capite alia præcepta dederunt de justo, continet postulationem, ut quicunque quando in periculo versentur, per eos et superiores omnino viribus æquum pro justo ducere permittantur. Ita commonefacit orator Melius Athenienses, quæ sit vera vis et natura justi, quod si teneatur, omnibus afferat commodum atque Atheniensibus ipsis, ut infra dicit.

τὰ εἰκότα subjecti, *δίκαια* prædicati locum obtinere censemus; atque etiam si *καί* (*καὶ δίκαια*) retineatur, quod a melioribus libris abesse asseverat Poppo, ne id quidem officere crediderimus, quominus hæc vocabula in eam sententiam accipiamus, quia particula *καί* (etiam) ad ejusmodi prædicatum addi potest, si subjecto quodam modo opponitur, ut IV. 92, 3. *τὸ ἀντίπαλον καὶ ἐλεύθερον*.

ἐντός cum intra comparari potest, quod aliquando significat aliquid certum quendam modum non assequi. *ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς*, infra finem stricti juris i. e. secundum æquitatem (*ἀκριβεῖς δικασταί* III. 46, 3.). Arnoldus refert verba ad *πείσαντα*, Krügerus ad *ὠφεληθῆναι*. Schol. extremum incisum interpretatur: *δεῖ μᾶλλον τῆς φιλανθρωπίας ἤπερ τοῦ πρὸς ἀκρίβειαν δικαίου τυγχάνειν τοὺς ἥττονας.* Ad extremum monemus verbum *τὸ ἀκριβές* ad severam et inhumanam rationem jus dicendi, quam orator Atheniensis proposuerit, respicere, quamquam Melius modestius hoc verbo sententiam suam proferat.

XCI. *ὠφελία — σωτηρία, ἀπόνως — χρησίμως, ἄρξαι — σωθῆναι*, attende ad consonum exitum contrariorum verborum, ut sæpe in orationibus Thucydideis invenitur.

Quæ utilia sint Atheniensibus, eadem sociis esse utilia contendit etiam C'eo III. 38, 2., in qua oratione videas plures sententias similes iis, quæ infra enuntiantur.

XCVII. *τοὺς μέν. τοὺς μὴ προσήκοντας*, Krüg. — *περιγίγνεσθαι superesse* diximus, ut verbis aliqua ratione similibus (*superesse* et infra *superiorem esse* ab eodem vocabulo primitivo ductis) redderemus, quod idem in oratione scriptoris bis legeretur, sed posteriore loco cum dissimili quadam notione ac priore. *Superesse* in scriptis latinis interdum idem valet atque *integrum remanere*, si ipse orationis contextus vim verbi illustrat.

ἄλλως τε καί ut Acac. Popp. Krüg. Goell. referimus ad *εἰ μὴ περιγένοισθε*, et *περιγένοισθε* cum *ναυκρατόρων*, ut ii, jungimus, eodem modo ac Popp. illud intelligentes. Ex hoc compositione verborum nostram interpretationem exponemus. Si vos, inquiunt Athenienses, qui insulani estis et infirmiores etiam quam ceteri (insulani), a nobis, qui classe maritimisque rebus permultum valemus et eam ob rem facilius insulanos quam continentis incolas sub nostrum imperium subjungere possumus atque infirmos insulanos etiam minore virium contentione, integri et liberi relinquemini, hoc civitates nobis subjectæ putabunt indicium nostri timoris et infirmitatis virium, sin autem nos non superaritis et subacti eritis specimen magnitudinis nostrarum. Vel ut his verbis utar: Si vos, qui insulani estis et ceteris infirmiores, ex hoc bello non superiores discesseritis nobisque cedere coacti eritis, aliæ civitates vos esse infirmos, ut ipsa re estis, videbunt, sin autem liberi remanebitis, opibus firmos et validos vos putabunt et eam ob rem libertatem nobis non subjectos tenere; nam opibus civitatum, quæ ea utantur conditione, et metu nostro fieri arbitrantur, ut in nostram dicionem eas non redigamus. Hæc quidem sententia non primo cuique legenti in mentem venit et forsitan videatur quæsita et molesta, quod ita cogitatione repetenda est sententia contraria. At nescio an accommodata sit ad superjectionem captiosam verborum oratoris Atheniensis, qui modo dixit: *κατὰ δύναμιν δὲ . . . . ἐπιέναι.* Verum si, quum verba, quæ tractamus, legas, apud animum proponas ea, quæ c. 99. dicuntur, non sine causa credideris verba *νησιῶται ναυκρατόρων* sibi eam ob rem hic esse opposita, quod insulani, quippe qui aliquid classe valerent, Atheniensibus

metuendi fuerint. Sed, si sententiam ita accipias, permolestum est illud *καὶ ἀσθενέστεροι ἑτέρων ὄντες,* ut exspectes *καίπερ ἀσθενέστεροι ὄντες.* Et quamquam particula *καί* conjungit verba et maxime participia diversæ naturæ, non hic tamen eam ita positam esse dicere ausim. Ceterum elegi verbum *et quidem*, quod utramque concedit interpretationem. Porti interpretatio minime est probanda.

XCVIII. *ἐν δ᾽ἐκείνῳ.* Poppo et Krügerus *ἐκείνῳ* ad *ὅσοι γάρ* referunt.

καὶ ἐνατῦθα, ut monuit Melius supra c. 90.

μεγαλύνετε. αὐξήσετε Schol. Incrementum virium hostium, non numeri respicit orator Meliorum, ut jam recte judicavit Bauerus.

C. *πᾶν ἐπεξελθεῖν. ἐς τέλος ἐργάσασθαι* unus Schol.; eum sequitur Krüg., *πάντα κίνδυνον ὑπομένειν,* alter; eum sequitur Acacius, et ita fere Poppo, qui *πάντα ποιεῖν, ἐπὶ πᾶν ἐλθεῖν,* ut Heilmannus interpretatur. Duas notiones, quæ non ita multum inter se differunt, interpretatione nostra conciliare studuimus.

CI. *οὔκ, ἤν γε —. οὐ καταστήσετε ὑμᾶς ἐς κίνδυνον,* Sch. Vide plura exempla hujusmodi dictionis a Poppone allata in Adn. ad III. 66.

οὐ γὰρ περὶ ἀνδραγαθίας ὁ ἀγὼν ὑμῖν μὴ αἰσχύνην ὀφλεῖν. Quod Krügerus hic de prolepsi quadam dicit, id equidem non magis intelligo, quam qua ratione in grammatica sua secundum exemplum, quod § 61. 6, 9 affert, ad hanc figuram referat. *ὁ ἀγὼν μὴ ὀφλεῖν* eodem modo dicitur atque II. 89, 8. *ὁ ἀγὼν μέγας ὑμῖν ἢ καταλῦσαι . . . ἢ καταστῆσαι.* Quod vero infinitivus cum *ὁ ἀγών* et verbis ejus generis, ut consilium significet, jungitur, non impedit, quin ea etiam ad objectum quoddam pertineant eo modo, quo tale iis adjungi solet, ut hic *περὶ ανδραγαθίας.* Vide V. 69, 1. simile exemplum neque tamen prorsus idem, quod *τὴν πατρίδα ἀφαιρεῖσθαι,* atque *ἡ μάχη ἔσται ὑπὲρ τοῦ μὴ*

ἀφαιρεῖσθαι τὴν πατρίδα dicere licet, hic vero tali modo ἀνδραγαθία cum ὀφλεῖν jungi non potest.

CII. εὐθύς non, ut Portus et alii interpretes, ad εἶξαι, sed ad ἀνέλπιστον referimus, quod hic non *extemplo* vel *statim cedere* opponitur verbo *tardius cedendi*, sed omnino agitur de cedendo aut non cedendo.

μετὰ δὲ τοῦ δρωμένου, μετὰ cum genitivo junctum numquam causam, sæpe vero statum et conditionem rerum significat. τὸ δρώμενον etiam V. 66, 3.

CIII. ἐλπὶς δέ, κινδύνῳ παραμύθιον οὖσα. ἐλπίδος ἐν τῷ ἀπόρῳ ἡ ἰσχύς dicit Pericles II. 62.

τοῖς δ' ἐς ἅπαν τὸ ὑπάρχον ἀναῤῥιπτοῦσι. ἐς ἅπαν *ex omni parte*, *prorsus* vertimus, ut Paus. VIII. 5, 5. ἐς ἅπαν ἐξενίκησεν et X. 20, 1. κατεπεπτώκει ἐς ἅπαν τὰ φρονήματα. ἀναῤῥιπτεῖν κίνδυνον est usitatum dicendi genus, ἀναῤῥεπτεῖν κύβον dicitur, sed objectum, quale est τὸ ὑπάρχον, vix ferri potest. Tamen Krügero assentientes ita verba jungimus, quum ceteri nihil melius præbeant. Videtur hoc dictum esse eodem modo ac παραβάλλεσθαί τι, quocum verbo hoc est cognominatum.

δάπανος γὰρ φύσει, spes est natura larga promissis. Multa pollicetur, ut homines ea inducti omnia fortunæ committant. Nostram interpretationem firmat id quod legitur III. 45, 4. ἐλπὶς τὴν εὐπορίαν τῆς τύχης ὑποτιθεῖσα.

ἅμα τε — καί, et — et optimi interpretes.

ἐν ὅτῳ de tempore non potest esse dictum, ut Poppo vult.

ἐλλείπει, relinquit. Ita Krüg., ut videtur, recte.

ἐπὶ ῥοπῆς μιᾶς ὄντες. Momentum, quo Melii sustineri, quoque turbato lapsuri esse dicuntur, est ἡ περὶ σωτηρίας βουλή, c. 101 et 111.

ἀνθρωπείως, ἀνθρωπείῳ τρόπῳ.

CIV. εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ἔσται. τύχη subjectum esse putat Krügerus, ἀγωνίζεσθαι Poppo et alii. Hoc nos quoque simul audimus. Illud ἀπὸ τοῦ ἴσου comparationem si-

gnificat conditionis Meliorum cum Atheniensibus ita, ut dicant se illis et fortuna et opibus futuros esse pares.

τὴν Λακεδαιμονίων συμμαχίαν, ἀνάγκην ἔχουσαν. Vide eandem verborum conformationem I. 110. *τὰ Ἑλλήνων πράγματα πολεμήσαντα.*

CV. *τῆς μὲν τοίνυν πρὸς τὸ θεῖον εὐμενείας.* Sane difficilis compositio verborum.

οὐδὲν γάρ ἔξω τῆς ἀνθρωπείας ... δικαιοῦμεν ἢ πράσσομεν. In hoc loco tractando paullum morabimur. Reiskius *δικαιοῦμεν* idem esse dicit atque *ἀξιοῦμεν δίκαιον εἶναι.* Huic verbo, opinor, veram subjicit sententiam, sed *τῶν μὲν ἐς τὸ θεῖον* et iis, quæ sequuntur, non item. Nam *τὰ ἐς τὸ θεῖον* sunt ea, quæ ad deos pertinent vel res divinæ. Atque hæc sunt omnia, quibus dii et homines inter se junguntur. Continent igitur et deorum administrationem mundi humanarumque rerum et ea omnia, quæ sentiendo atque agendo erga deos hominibus servanda sunt. Quæ quum ita sint, contra Reiskium et Bauerum, qui hoc loco alteram rem seu hominum erga deos pietatem et officia spectaverint, aut illa ambo, quæ religionis et rerum divinarum sint propria, in *τὰ ἐς τὸ θεῖον* inesse contendimus aut illud unum, quo dii pertineant ad homines. Quorum utrum utri anteferendum sit, in medio relinquimus. Nam id, quod sequitur, *τὸ θεῖον, οὗ ἂν κρατῇ, ἄρχειν,* quod non minus quam vocabulum *νομίσεως* nos ad hanc interpretationem adduxit, illud quidem aperte enuntiat deos habere imperium in omnes, qui in eorum sint potestate, sed obedientia, quam hi diis debent, potest etiam in eo latere. Atque verbum *νομίσεως* quomodo accipiendum sit, non videtur esse incertum. Quod, quum et sequente *δόξῃ* illustretur et voci *βουλήσεως* opponatur, nihil est, quod vim *θρησκείας* seu cultus id putemus habere. Itaque *νόμισις* hic ut Hdt. I. 131, quem locum commemorat Arnoldus, idem valet atque opinio vel fortasse a majoribus tradita et usu recepta opinio. Jam quomodo *τῶν δ' ἐς σφᾶς αὐτούς* accipiamus ex iis, quæ de antecedentibus exposuimus, videre licet. Nam tota conformatio orationis, quæ est artis plena, ostendit hæc illis esse

contraria, atque ita evadit simplex et concinna sententia. Verbum *δικαιοῦμεν* Bauerus et Krügerus videntur non recte accepisse, quod ex toto hoc loco multo aptior sit notio æquum censendi quam poscendi. Athenienses enim, ut ostendant non esse, cur de gratia desperent deorum, contra crimen impietatis et injustitiæ se defendunt, quod iis objiciunt Melii. At non sumus, inquiunt, neque sentiendo neque agendo injusti. Neque enim quæ de justitia statuimus neque ea, quæ agimus, abhorrent ab hominum de diis rebusque divinis sententia aut ab eorum suas ipsorum res constituendi voluntate. Sin vero *δικαιοῦμεν* *poscimus* interpretamur, id quoque ferri potest, sed elegantior et subtilior altera notio nobis videtur, quod ita res magis universa facta et ad locos communes ac fontes philosophiæ revocata majorem habeat vim ad Athenienses ab illo crimine defendendos, quum neque sentiendo neque agendo regulam justitiæ lædant. Ceterum ad hanc interpretationem id quoque nos adducit, quod *δικαιοῦμεν* ad vocem *νομίσεως* accommodatum, nisi fallimur, opponitur *πράσσομεν*, quod ipsum ad notionem *βουλήσεως* respicit. Nam hic totus orbis orationis et proximus subtili verborum delectu etiam minimorum eorumque aliorum simili, aliorum adversa natura acuminis sophisticæ philosophiæ præbet vestigia.

CX. *συμμαχίδος τε καὶ γῆς.* Arnoldus probabili de causa, ut videtur, hæc ad explicandum vocabulum *οἰκειοτέρας* inserta suspicatur. Etiam Poppo in eam sententiam inclinat.

CXI. *τούτων μὲν καὶ πεπειραμένοις . . . ἀπεχώρησαν.* De hoc difficillimo loco breviter hæc notamus. *τούτων* cum *τι* jungendum est. Ceterum illud vocabulum ad extremam partem prioris capitis vel conatus Peloponnesiorum in Atheniensium fines invadendi respicit, fortasse etiam ad totum caput antecedens. *ὑμῖν πεπειραμένοις τι γένοιτο* ad eandem grammaticæ regulam referimus, ad quam *βουλομένῳ ἐστί* vel *γίγνεταί τινί τι*, vide Matth. Gr. §. 388 e. *γένοιτο*, ut sæpe forma optativi, ad tempus futurum pertinet; *πεπειραμένοις* non potest futuro exacto Latinorum, ut censet

Haack., respondere. Atque dubitamus num, ut Goell. et Krüg. volunt, hoc participium pertineat ad *ὅτι οὐδ' κ. τ. λ.* Potest separatim dictum esse, ut *προςδεχομένῳ μοι τὰ τῆς ὀργῆς γεγένηται*, II. 60. et ita interpretati sumus, sed in tam difficili re nihil equidem pro certo affirmaverim.

§. 3. *αἰσχύνη* priore loco est *pudor* seu *verecundia*, posteriore *ignominia* vel *dedecus*.

Ad interpretationem nostram illustrandam hæc addimus: Interrogare possis, quid id sit, quod Melii pudendum existiment quodque committere vereantur. Nempe Atheniensibus cedere eorumque imperio se subjicere, etiam si socii stipendiarii fiant, id quod ex verbis, quæ infra legimus *οὐκ ἀπρεπὲς νομιεῖτε κ. τ. λ.* et c. 100 intelligi potest. Verentur igitur, si contra Athenienses se non defensent fortissime bellum etiam cum summo suo periculo perferentes, quod Athenienses dicunt *τὰ χείρω φιλονεικῆσαι*, neque omnes respuant conditiones, quæ integram libertatem lædant, ne nota turpitudinis afficiantur. Ergo quæ sunt honesta quæque turpia ex ipsa notione verborum vel maxime intuentes, nihil, quod iis repugnet, committere neque populo quamvis potenti obtemperantes de suo jure decedere volunt. At Athenienses hanc notionem (*τὸ αἰσχρὸν καλούμενον*) non magni faciunt neque hoc, quo Melii erubescant, re vera pudendum esse putant, sed specie potius et verbo. Itaque hic ut ante in hoc colloquio magis eventus rerum utrum utiles sint necne, quam rationem, qua quid agitur, num ad honestum se referat, magis prudentiam quam justitiam tuentes aliud quiddam quam Melii ignominiae loco ferunt, damnum, inquam, libertatis atque vitæ, quod populi facere possint devicti, cujus generis illæ, quæ commemorantur, insanabiles calamitates (*συμφοραὶ ἀνήκεστοι*) esse putandæ sunt. Atque hæc sunt mala, in quæ infirmiores gentes, si illo pudore inductæ repugnent majoribus, non fortuna magis cogente (*μετὰ τύχης*), quam voluntariæ (*ἑκόντες*) per suam ipsarum imprudentiam (*μετ' ἀνοίας*), quod imaginem dedecoris rei ipsi anteponant, præcipitentur (*ἐς οἷα φέρονται*). Quæ ut Melii caveant, Athenienses eos monent. Jam vero, quum Melii, id quod

supra docuimus, non solum ea ipsa, quæ agerent, si Atheniensibus non resisterent omni contentione virium, sed etiam deminutionem sui juris et bonorum publicorum, si conditiones ab hostibus latas acciperent, dedecori ducere existimandi essent, Atheniensibus, qui magis actorum respiciant eventus, summum dedecus eam esse deminutionem, quae ne locum quidem ullum illorum juri relinquat, licet colligere. Et, nisi fallimur, hoc significant verba *καὶ αἰσχύνην αἰσχίω . . . προςλαβεῖν.* Et quidem verba *καὶ οὐκ ἀπρεπὲς νομιεῖτε κ. τ. λ.* illam ignominiam cum hac comparatam pro nihilo eos putare ostendunt. Quum vero devicti cujusdam populi exitium, quod decus libertatis miseriis omnibus commutet, ab Atheniensibus indecorum haberi indicet contextus sermonis potest etiam periculum, quod ejusmodi malum videtur afferre, foednm vel ignominiosum ab iis et existimatum esse et dictum. Quare nos verbum *αἰσχρῶν κινδύνων* eodem fere modo accipimus atque Arnoldus, qui *pericula servitutem et ea re dedecus efficientia* interpretatur.

§. 5. *ἣν μιᾶς πέρι καὶ ἐς μίαν βουλὴν . . . ἔσται.* In hoc loco explicando sequimur conjecturam Haackii, qui *ἧς μιᾶς πέρι καὶ ἐς μίαν βουλὴν . . . ἔσται* legit.